



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli  
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio  
Coloniæ Agrippinæ, 1620**

Deiparæ deuotio signum est prædestinationis, num. 17.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

38 *Rationes quare Deipara*  
posse, cuius causam rogata, respondit se  
in Deiparæ honorem quinquaginta sa-  
lutationes angelicas cum totidem venijs  
quotidie dicere solitam esse, ex quo tan-  
tam dulcedinem se consecutam, vt om-  
nis oris eius saliuæ, orationis tempore in  
mel videretur conuersa: quod audiens  
Marsilius huius Matronæ exemplo vix  
sex hebdomadarū spatio, eundem salu-  
tationū angelicarū numerū cum iisdem  
venijs recitauit: cum tantam in ore, &  
guttore, dum eam dulcissimā saluatio-  
nem proferet, dulcedinē sentire cepit, vt  
mellis suauitatem longè transcenderet:  
quam eandem dulcedinē quidam ex or-  
dine Cisterciensi illius exemplum imi-  
tatus obtinuit; quæ omnia ab eodem  
incluso se accepisse testatur Cæsarius.

VI.

**DEIPARÆ DEVOTIO SIGNVM**  
*est predestinationis.*

18 **S**exto quamquam sine speciali reue-  
lacione nemo, vt habet *sacrum Con-*  
*Cœc. Trid. ciliū Tridentinum s. s. 6. cap. 12.* scire  
potest, quos Deus sibi elegerit; multa  
tamen à Doctoribus diuinæ prædestina-  
tionis signa enumerantur: & quidem  
inter præcipua collocatur. *Intima erga*  
*Virginem*

Virginem Deiparam, qua Mater est Electo-  
rum, atque uiuentium, deuotio. Quod  
elegantè Probat Pelbartus in Stellarario *Pelbartus*  
Virginis lib. 12. part. 2. c. 1. vt propterea  
omni studio in nobis hanc deuotionem  
diuina gratia excitare, & augere, illam-  
que enixè à Deo petere debeamus.

Virginis porò deuotionem signum  
esse prædestinationis probatur.

Primò, quilibet prædestinatus viuam *I.*  
quandam Christi Domini imaginè suis *Prædesti-*  
moribus, humilitate, patientia, castita- *nati Chri-*  
te, mortificatione, charitate, alijsque *sti fratres*  
rebus, quo ad eius fieri poterit, in *B. V. filij*  
se exprimere debet, iuxta illud ad Rom. *spirituales*  
8. Nam quos præsciuit, & prædestinauit Rom. 8.  
conformes fieri imaginis filij sui. & 2. Cor. 3. 2. Cor. 3.  
Nos uero omnes reuelata facie gloriam Do-  
mini specularantes in eandem imaginè trans-  
formamur à claritate in claritatem, tan-  
quam à Domini spiritu.

Hinc est, quòd quemadmodum Chri-  
stus est filius Dei naturalis, ita prædesti-  
nati debent saltem esse filij Dei adoptiui  
& propterea misit Deus spiritum filij sui in *Galat. 4.*  
corda nostra, in quo clamamus Abba pa-  
ter: & Christus Dominus dedit eis po- *Ioan. 1.*  
testatem filios Dei fieri, vt sit ipse primoge-  
nitus in multis fratribus, quos non confun-  
ditur fratres vocare:

Eadem

Rom. 8.

Eadem ratione prædestinati in hoc quoque imaginem Christi in se exprimere solent, ut per peculiarem erga Deiparam pietatem, & deuotionem; illam, quæ Mater est Christi naturalis, suam agnoscant matrem spiritualem: ideoque *ut dixi cap. 27.* Patres omnes matrem cunctorum uiuentium, qui scilicet uita gratiæ uiuunt, eam prædicant; cui Christum

Ioan. 19.

in cruce in Ioanne discipulo, quem diligebat, omnes electos, qui sui pariter discipuli sunt, & dilecti, & commendasse animaduertunt. Et hoc dicebat Origenes

Origenes.

tom. 1. in Ioan. in præfat. tractans quomodo Ioannes in filium traditus uirginis quodammodo Christus dici poterat: *Quisquis, inquit, perfectus est non amplius uiuit ipse, sed in ipso uiuit Christus, cumque in ipso uiuat Christus, dicitur de eo Maria. Ecce filius tuus Christus.*

II.

Sancti omnis B. V. deuotissimi.

Cant. 7.

Secundo, deuotionem erga Deiparam signum esse prædestinationis ex hoc etiam inferimus, quod omnes Sancti uirginis deuotissimi fuerint; quod cap. te sequenti quæ plurimis exemplis planum fiet; ut propterea Cant. 7. dicatur Deiparæ: *Venter tuus sicut aceruus tritici uallatus*

Epiphan.

Ambr.

*l. lijs: quoniam ex Epiphanio sermone de laud Virg. & ex Ambr. de Instit. Virg. cap. 13. Christus granum frumenti in*

cruce.

cruce mortuum multum fructum attulit, & sic electi omnes veluti aceruus tritici ex Christi passione multiplicati in utero Virginis beatissimæ, tanquam eius filij spirituales continebantur, eo modo, quo in utero Rebecca in duobus geminis Iacob, & Esau duos populos fuisse dictum est *Genes. 25. de quo c. 29. vberius Genes. 25. diximus*. Quo circa sicuti Deus auctor naturæ agniculo instinctum dedit, quo ex balatu matrem inter mille oves agnoscat, & ad eius vbera accurrat, ita Deus gratiam iustis infundens tribuit, ut Deiparam diuinæ misericordiæ matrem revereantur, & ad eam inclinentur, eius vbera misericordiæ appetant.

Quare mirum non est, si illam inter mortales degentem fideles omnes videre cuperent, quod ex Epist. S. Ignatij ad S. Ioannem Apostolum aperte colligitur, ubi eam etiam *Cæleste prodigium, & sacratissimum spectaculum* appellat. *S. Ignat.*

Similiter neque mirum erit, si omnes in terris ad eam in cælo regnantem tanta propensione afficiantur. Et sicut *Exod. 3. 3.* Moyses videns rubum, qui ardebat, & non comburebatur: (quo *ut canit Eccl. Offic. Eccl.* *cl. sta* virginitas Deiparæ conseruata significabatur) desiderio accensus: *Vadam,* inquit, *& videbo visionē hanc magnam:* quare

quare

quare non comburatur rebus: ita & nos in presenti vita oculo fidei ad eam contemplandam accedamus, memores verbum ipsius, & omni cordis affectu eius pedes teneamus, atque beneficia nobis opportuna ab ea petamus, nosque mutuo ad eius amorem adhortemur illis verbis Isai. 2. & Micheæ 4. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas: Deipara enim, & mons Domini, & Domus Dei, ex ijs, qua capit 5. diximus, appellatur, ut tandem aliquando in futura vita eius beata presentia perfrui mereamur.*

*Isa. 2.*

*Mich. 4.*

III. 20 Tertiò, hoc ipsum probari potest ex illo Ecclesiast. 24. quod Virgini accom-  
*Deipara* modatur: *Qui creavit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacob in-*  
*natis mit-* *habita, in Israël hereditare, & in electis*  
*tit radices meis mitte radices: In Iacob quidem inha-*  
*bita, id est, in supplantatore vitiorum.*  
 (Iacob enim *supplantatorem* sonat) in Iacob quoque electi, sicuti in Esau reprobi intelliguntur; iuxta ea, quæ Apostolus fuse differit in Epistola ad Romanos, ubi c. 9. ex Malach. c. 1. citat illud: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* subdit.  
*In Israël hereditare, id est, in contemplativo (Israel enim idem est, qui Iacob prædesti-*

*Rom. 9.*

*Malach. 1.*

prædestinatorum typus, & ut multis placeat idem est, quo videns Deum: )

Verum quod magis est, in electis meis, id est, in ijs, quos elegi, mitteradices: ideo Germanus Patriarcha in sermone Ger. Patr. de Zona Virginis: Quomodo, inquit, corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita & sanctissimū tuum nomen Virgo beatissima, quod in cre seruorum tuorum versatur ass. duē in omni tempore, loco, & modo, vita, latitia, & auxiliij non solum est signum, sed ea etiam procurat, & cōciliat. ita Germanus.

Et Prouerb. 8. dicitur: Beatus homo, Prou. 8. qui audiuit me, & vigilata ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, quod Ecclesia Virgini accommodat in Epistola M: s: x, quæ legitur de concepte Missale. Virginis sacro, quasi dicat: Beatus homo, qui meis consilijs obedit, & peculiari deuotione me veneratur. cuius rationem ibidem reddit. Quoniam qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino: etenim Virgini congruit illud Prouerb. 18. Qui inuenit mulierem Prou. 18. bonam inuenit bonum, & hauriet incun- ditatem à Domino.

21 Quarto, ad hoc confirmandum facit IV. & illud, & quod Deus Leuit. 26. populo Luc. 6. suo pollicebatur: Ponam, inquit, tabernaculum

naculum

Deipara *tabernaculum meum in medio vestri, & nō abij-*  
*veluti Dei ciet vos anima mea: quod spiritualiter*  
*tabernacu* *impleretur in ijs, in quibus quasi in medio-*  
*lum in cor cordis à Deo optimo deuotio erga Dei-*  
*de electorū parā infundit, quā per tabernaculū Dei*  
*ponitur.* *figuratam ex Sanctorum doctrina cap. 5.*  
*lsa. 4.* *docuimus, vbi de hoc mystico taberna-*  
*culo illud Isa. 4. intelligi posse diximus.*

3. Reg. 2.

B. V. re-  
fugium  
peccato-  
rum.

B. V. amor  
mensura  
deuotio-  
nis.

*Et tabernaculū erit in umbraculū diei ab-*  
*astus, & in securitatē, & absconsione à tur-*  
*bine, & à pluuia, hæc enim omnia spiri-*  
*tualiter à Deipara sanctissima suis deuo-*  
*tis præstari cernimus. Quæ etiam com-*  
*pluribus, qui in sceleribus inforduerant,*  
*Christus Dñs merito dicere possit id, qd*  
*Salomon 3. Reg. Abiathar dixisse scri-*  
*bitur: Equidem vir mortis es (adiuuerat*  
*enim partes Adonix) sed hodie te non in-*  
*terficiā, quia portasti arcam De circa Da-*  
*uid patre meo: Christus enim plerosq; a*  
*peccatorum cœno, propter quæ morti se-*  
*cundæ in gehenna addicendi erant ad*  
*meliozem viuendi rationem reuocat,*  
*illisque ignoscit propter arcam Dei, hoc*  
*est propter deuotionem erga Deiparam,*  
*quam in corde gestarunt.*

Et sanè experientia compertū est, quā-  
 do in Virginem deuotio in alicuius pe-  
 ctore intepescit, simul & reliqua in vita  
 spiritali intepescere; cum autē feruet,  
 reliqua

reliqua etiam omnia feruere, & maiora  
capere incrementa.

S. Antoninus 4. part. tit. 15. c. 14. § 7. S. Antoni-  
quandā Anselmi sententiā, quæ hoc ip- nus.  
sum confirmat, sic affert: *In Antiphona,*  
inquit, *Salve Regina, ei dicimus: Eia ergo Salve Reg.*  
*aduocata nostra illos tuos misericordes ocu-*  
*los ad nos cōuerte, vt enim dicit Anselmus: Anselm.*  
*Impossibile est, quo .lli, à quibus Virgo Maria*  
*oculos misericordia sua auerit. saluētur, ita*  
*necessariū, quod hi, ad quos conuertit oculos*  
*suos pro eis aduocans iustificentur, & glorifi-*  
*centur. hęc Anselmus apud S. Antoninū.*  
Eandem vt Anselmi sententiam citat  
Pelbartus de Temesuar in Stellario Vir- Pelbartus.  
gia is li. 12. par. 2. art. 1. & docet esse in lib.  
miraculorum ab Anselmo edito.

22 Adhæc nomen ipsum Mariæ signifi- V.  
cat, vt c. 10. dixi, *Miris Stellam*, quæ na- Maria  
uigantibus in mundi huius procellis lu- idem quod  
cē præfert, virtutumq; suarum exemplo, maris stel-  
ac opis suę patrocinio eorum cursum di- la.  
rigit, atq; ad optatum dirigit portum sa Epiphan.  
lutis. Et Epiphanius sermone de laud.  
Virg. explicans nominis Mariæ etymo-  
logiam, inter alia vult nomē illud sonare  
*Myrrham maris: Quia paritura*, inquit, *Myrrha*  
*erat gemmam à corruptione præseruandam: maris.*  
hoc est Christum resurrecturū, ab omni  
corruptione in morte sua alienū: Mare  
verò

*Mare mundus.* ve. ò dicit esse uniuersum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatē attulit.

*Mater misericordia.* Adde quæ diximus cap. 16. & 30. Virginem matrem esse misericordiam, & peccatorum Aduocatam, quæ à Deo, apud quæ maxima gratia pollet, repulsam neuiquam patitur, vt rectè docet Bernardus sermone de Aquar ductu. Quo fit, vt qui erga Virginem peculiari deuotione afficiuntur, ij magnam ex eo salutis suæ spem concipere possint.

*Bernard. Aduocata peccatorū.* Satagendum tamen illis est, vt à peccatis quantocius per poenitentiaæ sacramentum emergant, & per bona opera, vt monet S. Petrus in 2 epist. ca. 1. certam suam vocationem, & electionē faciant:

*Peccator non præsumat.* etenim priuilegia nonnullis insignibus peccatoribus à Virgine facta, quorū aliquæ mox r. f. remus, ita ad pietatem erga Virginem inflammare nos debent, vt à peccatorum etiam sordibus nos quam maximè reuocent, ne Christi, & Virginis benignitate abutentes in peccatis fordescamus, & peccata peccatis addentes in apertum salutis nostræ discrimen nos ipsi temerè conijciamus, cum illad verissime scriptum sit Ecclesiast. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo, & qui amat periculum, in illo peribit.*

*Priuilegijs non abutendam.*

*Eccl. 3.*

23. Sicuti autem Virgo sanctissima tamquam Aurora mystica aduentus Christi in mundum, qui Sol Iustitiæ est, felix, & certa prænuncia fuit, ita & nunc eius deuotio in hominum cordibus proxime Christi gratiæ per preces Virginalis prænuncia esse solet.

**VI.**  
*Virginis  
 deuotio  
 prænuncia  
 Christi  
 gratiæ.*

Quid quod Christus Dñs, quos singulari aliqua ratione diligit, eos Deiparæ clientelæ, patrocinioq; committere legitur? quod facile confirmari posset ex Ioanne discipulo, quem diligebat Iesus huic Virgini ex cruce in filium tradito, in quo omnes, qui sunt in gratia, quam Ioannis nomen sonat, quiq; diliguntur à Christo, Deiparæ commendatos supra cap. 27. ostendimus.

**VII.**  
*Christus  
 suos dile-  
 ctos Virgi-  
 ni com-  
 mendat.  
 Ioan. 19.*

Cæterum hoc ipsum vno, aut altero exemplo demonstramus. legimus in vita S. Elzeary Comitis Ariani cap. 14. Garfendam nobilem, & sanctam matronam cum pro S. Elzeario, quem enutrierat, feruenter oraret, corporeis auribus audiuisse Christum sibi dicentem, Iuueni huic, pro quo tam multum oras, noveris me matrem meam dedisse magistram; nihil igitur de illo dubites.

**Exemplū**  
*apud Su-  
 rium 27.  
 Septembr.  
 Christus  
 S. Elzea-  
 rium ma-  
 tri com-  
 mendauit.*

Et in reuelationibus B. Gertrudis lib. 3. cap. 1. *Ex spirituali, inquit, quadam reuelatione dum intellexisset sancta Virgo Gertrudis*

*Gertrudis*

B. Gertru- Gertrudis sibi in augmentum meriti ali-  
 dis à quid aduersitatis imminere, & inde ex hu-  
 Chr sto mana fragilitate trepidare: Pius Dominus  
 matri com ipsius fragilitate condescendens, misericordē  
 mēdatur. matrē suam inelytam Cœlorum Reginam,  
 Imperatricem, illi dedit in matrem. benign-  
 nemq; dispensatricem, ut quantumcumq;  
 nimietate aduersitatis supra vires grauaretur,  
 semper ad ipsam matrem misericordia  
 securum haberet recursum, cuius interuentu  
 se sciret alleuiandam. Post hac breui in-  
 teruallo temporis, cum valdè grauaretur  
 quadam in re, recurrit ad desolatorum con-  
 solatricem, cupiens ab ea doceri, quid in hac  
 causa magis expediret, & ab ipsa responsum  
 accipere meruit.

Et capit. 4. cum eadem B. Gertrudis  
 circa festum S. Bartholomæi ex inordi-  
 nata quadam tristitia, & impatientia  
 tantas incurrisset tenebras, quod magna  
 ex parte iucunditatem diuinæ præsentie  
 sibi videretur amisisse vsque in sabbatū,  
 quando has sibi temperatas gauisa est  
 per intercessionem Dei genitricis, cum  
 in honorem ipsius cantaretur quædam  
 Antiphona.

Et libr. 4. earundem reuelatione cap.  
 49. in vigilia Assumptionis, cum cantan-  
 da esset Missa, cum ex intimo cordis af-  
 fectu B. Gertrudis lecto decumbens de-  
 precaretur

precaretur Dominum, vt sibi apud dulcissimam matrem suam dignaretur fauorem, & gratiam obtinere, cui ipsa, vt sibi videbatur, nunquam debitum obsequium exhibuisset; Dominus se summa cum blanditate in amplexus matris amicissimos declinans, exhibuit ipsi omnem filialem dilectionem, qua vnquam erga eam affectus fuerat, dicens: *Recole Domina Mater amantissima, quod peccatoribus ego propter te sim propitiatus, & respice hanc electam meam eo affectu, ac si omnibus diebus vita sua tibi placita, summaq; deuotione seruisset. Ad quod virginea Mater quasi tota liquefacta, & in melleam dulcedinem resoluta: se totam huic cum beatitudine sua ob amorem filij videbatur impendere. Hæc ibi.*

## DEIPARÆ MIRACVLA

*quadam admirabilia ex*

*Pelbarto.*

24 **Q**VANTA porro ex deuotione erga Virginem utilitas dimanat, ex copluribus exēplis, ac miraculis, *qua sparsim in hoc opusculo narrantur*, satis constat: sed minimè reticenda censeo tria illa, quæ Pelbartus de Temesuar Ordinis Minorum in libro quem *Stellarium Pelbartus,*

**C**

*corona*